

CAPVT VI.

In tributis exigendis qualiter grauari Commendariorum conscientia possint.

De tributis non in pecunia, sed in specialibus solui soliti.

Prohibita circa illa pactiones, & qualiter

Si una species pro alia exigatur, peccari enim reſtitutionis obligatio.

VT Indi ad labores honestos, sibi que viles exeitentur, legibus dispositum est vt tributa non solum in pecunia soluant, sed in iis, quas vocant species, ex agricultura scilicet & opere textino; aliisque iuxta regionum diuersitatem: dum enim ad solvendum tributum in iis se exercent, non solum quæ ad id suppetant, parant, sed & quæ vitæ sustentationi sufficiant. Ex huiusmodi ergo Commendariorum tributa solvuntur, non tamen omnibus eodem modo; quibusdam enim specierum pretium soluitur, iuxta taxam lege præfixam, quidquid sit de pretio currenti solutionis tempore. Possunt ergo, si velint species designatas contribuere, aut earum pretium in pecunia, quia ad alterutrum tantum obligantur. Aliis beneficium specierum conceditur (sic vltus loquendi habet) quia in ipsa commendæ concessione tale eis beneficium confertur, vt possint tributarios suos ad species tribuendas obligare. Quod beneficium licet communiter conferri soleat, communiter etiam Commendariorum eo non vtuntur; sed in pecunia iuxta moderatum pretium integrum valorem accipiunt, pacto cum Indis circa hoc inito; in quod illi libenter concurrunt; quia verò pactiones, quas commendatarij cum tributariis suis facere solent in ordine ad huiusmodi commutationes, minus fauorabiles; immò & præiudiciales, illis esse solent, prohibita sunt per rescripta Regia, de quibus Dom. Solorzanus Lib. 1. cap. 20. num. 82. & lib. 2. cap. 24. num. 102. & in Politicâ lib. 3. cap. 26. pag. 432. §. Lo quarto. Quibus tamen non obstantibus si pactiones istæ reuera præiudiciales non sint, & Indis ipsi annuentibus, & propendentibus fiant, Protectorique eorundem auctoritate firmentur, non videntur improbandæ, quia præculdubio viles illis esse possunt, & ita quando tales, minime prohibita: iuxta regulam satis vulgatam Iuris in sexto. Quod ob gratiam aliam conceditur, non est in eius dispensum retorquendum. Et ita video à Commendariorum timorata conscientia praticari, vnde circa hoc non est illis scrupulus iniiciendus.

23 Est tamen omnino iniiciendus illis, immò, & spina in eorum cordibus; pro salute autem eorundem insigenda, qui cum de speciebus accipiendis agitur, vnam pro alia petunt; quia sibi commodiorem æstimant. Quod quidem si in re aliqua semel, aut iterum accidat, nec vis aliqua pæpidis eorum animis inferatur, tolerari potest, neque vt lethalis permutatio ista condemnari. Id autem frequenter fieri, sine reatu mortalis culpæ nequit; quia circa frequentiam hanc inuoluntarij Indi sunt, qui probè cognoscunt permutationes tales sibi esse incommodas, vnde si eisdem annuunt, ex timore id faciunt, qui nullos reddit contractus, secundum plures, & graues Doctores, quos adducit Bonacina Tom. 2. disp. 3. de contractibus quest. 1. puncto 2. §. 3. n. 3. & P. Onate

Tom. 1. disp. 3. sect. 13. quos, & sequitur; vel certe nullandos, vt cum aliis tenet ipse Bonacina ibidem, & P. Fagundez lib. 1. de iustitia, cap. 6. cum multis. Ex quo fit in foro conscientia teneri eum, qui metum inculsit iniustum, ad restitutionem damni sic irrogati, quia per iniuriam illatum est, & ita per restitutionem debet inæqualitas ad æqualitatem reuocari. Pro quo citatus Auctor cum Navarro, Syluestro, & PP. Sancio, Lefio, Reginaldo, & Rebello num. 7. quibus adde Cardinalem Lugo disp. 22. de iustitia n. 138. P. Luisium Turrianum Disp. 55. de iustitia, dub. 11. P. Gasparem Hurtadum Disp. 12. de contractibus, Diff. 5. Vers. Et ob rationem, P. Bauny Lib. 1. de Contractibus, Tractat. 1. Quest. 9. Vers. Inferitur primo. Vbi alios adducit, & Ballæum V. Contractus num. 23. non est ergo, quod Commendariorum fauceat in permutationibus istis, quomodoque libeat opinari; & licet Auctores, qui validum contractum dicunt, rescindendum tamen; addant hoc faciendum; si ita velit, qui metum passus est; vnde dum voluntatem suam non aperit videntur, qui metum iniecerunt, iuste possidere: & ita dum Indi rescissionem non petunt, Commendariorum nihil exgere, quo eorum grauari conscientia possint; licet inquam hoc ita sit, nequit tamen ad casum præsentem accommodari; quia in Indis, vt rescissionem contractus non petant, perseuerat metus, & ita non est eorum expectanda petitio.

24 Addendum præterea; quod licet tolerari queat vt contractus non rescindatur, quod tamen damnificatio non sit recompensanda; etiam Indis nihil petentibus; nullo potest pacto sustineri. Est autem in permutationibus dictis semper damnificatio aliqua, dum vnum pro alio exigitur: quod enim datur, eo ipso quod ab inuito extorquetur, maioris valoris est: sicut enim merces vltroque vilescunt, ita quæ vltroque nihil, aut parum habent; maioris pretij sunt, vt est communis Theologorum, & Iurisperitorum doctrina, de qua & dictum alibi, & quidem cum quis rogatur vendit, plus valoris habet res ab eo tradita; ergo cum inuitus id dicendum potius, quia magis inuoluntarium est, vt cum communi docet P. Lessius Lib. 2. cap. 15. num. 3. Id autem quod de pretio circa venditionem dicitur, etiam est in quolibet alio contractu dicendum ob eandem rationem: vnde & in permutationibus de quibus loquimur.

45 Potest etiam in eo Commendariorum conscientia grauari si non sint iis rebus, quas Indi tribuunt, contenti, licet mediocris valoris sint, sed velint eas esse summæ æstimationis: neque enim est lex, quæ talem æstimationem taxet, immò neque taxare rationabiliter valeret; quia difficile id stare possit, quatenus illæ meliores, & meliores esse possunt, vnde semper in voluntate Commendariorum positum esset meliora, & meliora exigere, & dum talia suo iudicio non darentur, valoris defectu pecuniâ supplendum contendere, & sic miseros Commendatos tyrannicè diuexare. Pro quo est communis Iurisperitorum sententia, quos adducit Dom. Solorzanus Lib. 1. cap. 20. num. 75. quibuscum & sentit Pharaonius Tract. 1. sess. 30. casu 4. dicentium debitorem tributorum, vel aliarum quantitatum, in monetâ qualibet vsuali soluere posse. Pro quo & est L. 6. Titul. 14. lib. 6. Recopilat. sicut ergo in monetæ contributione

Contractum ubi metus, non sufficit.

Doctrinam circa rescissionem contractus Commendariorum non fauere.

Pro damnificatione semper obligatiorem extantem.

Rei inuito extraxit maius pretium.

Species supra valorem medium non posse exigi.

Pecunia qualibet fieri posse solutionem.

Sterilitatis tempore species non debent, sicut nec decimas.

A decimis ad tributa argumentum.

tionem non est obligatio ad meliorem, sed qualibet vsuali fieri solutio potest, ita & in speciebus pariter dicendum propter eandem rationem. 26 Quid sterilibus annis faciendum & qualis indulgentia remissio: dictum à nobis Titul. 1. num. 178. & 179. & ea generalis doctrina ad casum præsentem applicanda: vbi de Commendatis agimus. Ad species ergo quas per temporum inclementiam habere minime potuerunt, tribuendas, vrgeri tutâ conscientia nequeunt. Sicut non tenentur, ad decimas, qui copiam aliquam, ex quâ illas deducere, aut sterilitatem nequam habuerunt: sicut autem de tributis, & collectis ad decimas regulariter valet argumentum, vt probat Euerardus loco 72. Pro quo & Doctores adducit D. Solorzanus lib. 1. cap. 21. n. 1. ita potiori iure de decimis ad tributa, quandoquidem decimæ minus odiosæ sunt, cum Deo offerantur, non sic tributa, quibus odiosius nihil; licet iure aliâ debeantur. Cum ergo decimæ defectus non debeat com-

pensari pecuniâ, nec specierum debet, ne seruus maior sit domino suo; si autem pactione constitutum sit, vt totum tributum in pecuniâ soluat, & sic in anno sterili Commendatarius id quod in aliis accipiat, non videtur ad restitutionem obligandus, quandoquidem erga tributarios Regis tale quid agitur, vt constat ex dictis n. 179. citato ex eo fundamento, quod vnus anni sterilitas, alterius abundantia compensatur, & ideo pactio præcessit vt scilicet communia essent damna, & commoda Commendariorum, & Commendariorum, & hi cum beneficiis habeant specierum, & ex eo commoda frequentia reportant, & satis videtur exiguum, quod ex speciebus potest singulis capitibus respondere. Et hæc pro Commendariorum sit satis adnotasse, si illud tantum in fine addamus, quæ dicta de Commendariorum sunt ad Pensionarios extendenda, pro quibus videndus Dom. Solorzanus Lib. 2. Cap. 3. & præsertim, num. 26.

Quid si in pecuniâ solui soliti.

TITVLVS VIII. DE CAPITVLIS CIVITATVM, ET DIVERSIS EORVM OFFICIALIBVS.

Vt non semel admonui, ad illa quæ pro Indijs specialia sunt, nostræ tractatio coarctanda; si enim generaliter libeat excurre-re, os us interminabile moliremur. Inter plurima ergo, quæ de Capitulis ciuitatum tractari possent, selectissima pro Indijs assumendo, sit pro illis

CAPVT I. Capitulares Ciuitatum, siue Rectores, an pro electione Officialium accipere aliquid possint, & quædam alia circa illud.

Pro electione officiorum posse pretium accipi ex veneratione à Rege facta videtur probari.



Communis quidem est difficultas, sed ad Indicos Senatores, vulgò Regidores, eateus peculiariter spectare potest, quatenus in illis hoc malum fortè frequentius, ob terræ opulentiam, & ambitionem quorundam inibi ardentius æstuantem, qui vbi Rex longius abest, reguli esse cuiusvis pretij oblatione contendunt. In quâ quidem erunt fortè qui fieri posse affirmant, eò quod hunc præ aliis eligere mera gratia est: ergo potest pro eâ, pretium accipi, sicut & dari: nemo enim gratis tenetur facere id, ad quod non obligatur. Quod si leges id prohibeant, non videntur in conscientia obligare: quia ex nullo capite id constat & cum Rex officia Rectorum

vendat, id verosimilius redditur; quia plus indecentiæ apparet in eo, quod officia vendantur, quàm in eo, quod pro electione annualis Officialis aliquid accipiatur. Ideo namque indecens communiter asseritur venditio officiorum, quia minus apti eo pacto eliguntur, ad augmentum pretij oculis venditoris intentis. Hoc autem in officiis perpetuis quantum habeat inconuenientia statim apparet, cum inconuenientia pariter debeant perdurare. Cum ergo Rex iis non obstantibus ea vendat, circa minora inconuenientia dispensare videtur, quæ in electione annui Officialis occurrere possunt, dum aliquid ab eligente accipitur, qui pro electione suâ ampliora se memorat contulisse. Et hoc sanè satis verosimile indicium est voluntatis Regis, vt nolit ea ad mortale peccatum transgredientes obligari, quod de illius eximia nequit præsumi erga lubditos pietate: iuxta dicta Titul. 2. n. 3.

2 Et quod saltem non sit peccatum mortale sed solum veniale; probari potest ex aliquorum scriptorum sententiâ, qui dicunt non peccare mortaliter eum, qui cum habeat facultatem à Rege transferendi officium in alium, pro eo pretium accipit. Sic enim tenent Peña, Petrus Soto, Orellana & alij Theologi apud Salonium Tomo 1. q. 63. art. 2. controu. 8. conclus. 4. & Petrum de

Vt non sit peccatum mortale vt conserat, quorundam doctrina de venditione officij trahi.

in Summa Tomo 2. Tract. 7. Cap. 1. Concluf. 25. qui, & illam probabilem existimat: sicut & Ioannes de la Cruz in Directorio. Part. 1. Præcepto 7. Quæst. 7. Artic. 2. Dnb. 10. Concluf. 3. & videtur probare Cardinalis Lugo Tom. 2. de Iustitia Disput. 38. num. 79. Nam eadem ratio videtur esse in eligente accepto pretio ob fundamentum, quod adducit Ledefina, ex eo quod habeat licentiam ad transferendum officium, & ex acceptatione pretij nullum Reipublicæ detrimentum sequatur; cum supponatur eum, in quem est facienda translatio, futurum idoneum; neque ipsi electo damnum aliquod inferatur, cum nullum habeat ius ad officium gratis habendum, & melius illi sit, illud pretio aliquo dato frui, quam penitus eo carere. Quæ quidem casui, de quo agimus, possunt pariformiter applicari. Et de duobus postremis constat: circa primum autem; et si qui pretio accepto eligit, non transferat officium; habet tamen absolūtè facultatem eligendi, & valde materialiter videtur se habere, quod ad suum officium eligat, vel ad aliud, cum in prohibenda lucrosa venditione idem in omnibus respectus habeatur: nihilominus

3 Dico primo: Senatores Urbani peccant mortaliter pretium accipientes pro officialium electione, quæ fieri solet ad Reipublicæ administrationem. Videtur clarum ex L. 8. Tit. 2. lib. 7. nouæ Compilat. in qua sic dicitur: Mandamos que niagun officio de veynte quatrias, Regimientos, Alcaldias, Alguacilaz, y otros feles executores, & Juraderias, no se puedan vender, ni trocar, ni dar en pago, ni por otro precio: al respecto de precio alguno ahora lo den las personas en quien se renunciaren o traspasaren, & otras personas por ellos, directa, ni indirectamente: y lo mismo sea en los votos, que se dieren en las elecciones, y promisiones para los tales officios, de Procuraciones de corrie. O, escribanias publicas de donde por Privilegio, & consumo se eligen por votos. Por manera que no interuenza precio, ni respecto de precio, ni Soborno. Et inferius: Y la persona que lo compare, & aqui se renunciare, & Comprare voto para lo auer, & lo vbiere por ruego de otras personas a su pedimiento, o por causa suya directa, & indirectamente, no pueda auer, ni aya el tal officio, puesto, que nos le hagamos merced de el, por virtud de la renunciacion. Sic lex; quæ quidem circa materiam versatur grauissimam, & si intentio non obligandi grauitè in legislatore deesser, nullius momenti redderetur; ex quibus obligationem sub mortali colligi diximus Titulo 2. num. 3. & quidem pœnalis non est, cum nullam pœnam assignet, neque fundata in præsumptione, vt constat; neque vsu reiecta, quia illius obseruantia viget in gremio præcipuo Senatorum: ergo nullum est indicium, vt obligationis vim illi detrahere debeamus.

4 Solùm esse difficultas potest, quia in prædictâ lege pariter prohibentur pretium accipi, & intercessione tertiarum personarum moueri, & ita additur: & lo vbiere por ruego de otras personas a su pedimiento. Et antea immediatè post adducta: Ni ruego de otras personas por intercession, & causa del que vbiere de sere legido. &c. Atqui propter intercessionem eligere non videtur esse peccatum graue; unde intercessiones frequentissimè occurrunt, idque sine graui scrupulo; & satis durum esset intercessorum myriades de lethali reatu condemnare. Sed

Ex prohibita intercessione obiectio; cum eiusdem solutione.

Afferio 1. Negatiua afferio statuitur.

Illius grauis obligatio.

certè hoc non videtur vrgere: nam lex non prohibet intercessionem respectu omnimodis operari; sed ne intercessio vnica sit causa electionis, nullis aliis requisitis consideratis: sic enim iniquissima electio esset; etiam si aliàs benemeriti sit, quia totum quod ad benemerita attinet, materialiter se habet: vnde si talis non esset, eodem modo eligeretur; stante eadem formali ratione operandi: idem enim in quantum idem, semper est natum facere idem. Quia verò lex humana actus internos directè prohibere non potest; si quis re ipsa propter intercessionem eligat; id tamen exterius non significet, non facit contra legem peccabit tamen mortaliter contra legem naturalem, iuxta quam tenetur eligere dignum, secundum quod dignus est; quod tamen non præstat, cum re ipsa propter intercessionem eligat, & ita dignitas materialiter tantum se habeat. Sic ergo nihil est in lege dicta, ex quo obligatio tantum leuis possit coniectari. Et ita grauem agnoscunt communiter Scriptores, & vti certum pro eorum examine in confessione statuit Remigius, in Praxi Praxi Parochorum fol. 302. num. 7. cum P. Lessio, Corduba & aliis. Et Cardinalis Lugo supra. num. 78. P. Thomas Sancius. Tomo 1. Consiliorum. lib. 3. Cap. vltimo Dnb. 1. num. 27. & 28. P. Fragoſus Tom. 1. Pag. 417. num. 42. vt alios omitam.

5. Neque adducta in contrarium vrgent: nego enim ex eo quod Senatores officia emerint, vendere posse; quandoquidem eis expressè prohibetur, non obstante emptione & licet in illa non leuia inconuenientia sint, ex eo non sequitur inconuenientia alia addenda, ne inconuenientium cumulo bonum publicum opprimatur. Nec verum est abusum ex electione lucratia annuorum Officialium ob breuius tempus minoribus esse inconuenientibus expositum: nam reuerà tempus breuius non est collectiue, dum vna electio aliam subsequitur, & omnes accepto pretio constant; vnde inconuenientia sunt perpetua. Ex opinione autem illà de renuntiatione officij non sequitur, quod intenditur: quia Rex talem officij translationem concedens, non videtur circa modum translationis talis profusus inuitus: quia cum Rex ipse vendere illud soleat, dum copiam transferendi facit, circa venditionem etiam annuit, vel certè non penitus illi videtur displicere, dum eam non prohibet. Circa electiones autem à Senatoribus faciendas voluntatem suam omnibus reddit promulgatione legis manifestam, & ita de vno ad aliud fieri nequi argumentum. Neque est eadem ratio de electione, & translatione officij: hæc enim Regio nomine fit; illa autem secus; in hac non apparet transferentis turpitudine, secus in illà; subornationes enim in habentibus publica officia turpissimæ iudicantur ab omnibus, quia Officium non ad publicam vtilitatem, pro quâ institutum est, sed ad priuatam inclinatur. Item qui vendit, iudex non est, nec publici officij actum exercet in eius translatione; cum tamen Senator eligens, publico fungatur munere, & ita quod accipit subornatio est; quod dici nequit, cum officium vendit, sicut de nullo alio, id, quod suum est vendente.

6 Dico secundò: Senator vrbicus accipiens aliquid pro electione non obligatur ad restitutionem

Est satis obiectus.

Afferio 2. Non esse obligatio-

tionem, secundum valde probabilem sententiam, quam cum multis tenet P. Sancius. supra n. 29. & 30. Cardinalis Lugo n. 77. & seqq. P. Fragoſus supra pag. 416. num. 41. vbi alios adducit. Quando scilicet id, quod datur; ex mera liberalitate tribuitur, licet leges municipales prohibeant, quia non impediunt dominij translationem. Quam limitationem cum alij etiam adiciant, oportet illam, vt expedita decisio ista maneat; explicari. Omnis certè, qui vt officium obtineat aliquid confert, credendus est liberaliter offerre, etiam si inuitus conferat, quatenus gratus illi esset, si officium merè gratis offerretur. Quod patet ex eo, quod officium ita habere velit, vt illius acceptio legitima sit, nec fit illi restituendū illud obligatio. Cum ergo, si liberaliter non tribuat, quod pro suffragio electoris tribuit, acceptio officij nulla sit, vt ex verbis legis constat adducto num. 3. No pueda auer, ni ayael tal officio; dicendum est, ita dare velle, vt datio liberalis censenda sit. Quod quidem si non ita debeat intelligi, quod Auctores sententiæ propositæ affirmant, minimè consonum esse potest. Nemo enim electori ita liberaliter tribuit, vt electione non stante esset aliquatenus tributurus. Tribuit ergo ad obtinendam electionem; & quomodo dici potest liberaliter tribuere? Certè nisi ad explicationem traditam non habeatur recursus: non video quomodo possit sustineri. Tribuit ergo liberaliter quatenus & si officium non obtineat, non sit datum, repetiturus: vel quia suffragium emere non intendit, sed gratum se pro eodem exhibere. Vnde si tantum promissit, & officium assecutus est ante impletam promissionem, ad nihil tenetur ex iustitiâ, sicut & non adepto: licet autem qui tribuit ob electionem obtinendam non habeat expressè omnes dictos respectus, cum tamen ita velit tribuere, vt electio ex eo non reddatur nulla, credendus est iuxta illos confusè conceptos operari.

7 Sidas: legem prohibentem subornationes, eas etiam, vt à nobis sunt explicatæ, prohibere, & consequenter electionem propter eas factam, esse nullam: nam etiam sub prædictis respectibus eadem habent inconuenientia, & cum ad modum interiorum operandi spectent, ad forum externum & humanas leges non spectant. Est quidem valida instantia, & propter quam opposita sententia videtur similior vero, vnde & eam grauissimi Doctores complectuntur, vt videri potest apud P. Sancium, supra num. 28. Nos autem vt eam quam vt valde probabilem ob Auctorum eam sequentium multitudinem, & grauitatem propoluimus, iuxta modum aliquem verosimilem explicemus, prædicto modo philosophari sumus: & ad instantiam dicimus, illam quidem esse vrgentissimam; sed nihilominus dominij translationem non prohiberi, quando datum liberale est sub respectibus explicatis, qui merè interni non sunt, quando iuxta illos debet, quod tribuitur, regulari, vt scilicet impleatur, aut non impleatur promissio, & quod datum est, repetatur. Quæ explicatio si adhuc non penitus videatur satisfacere, quarant aliam sententiæ huicmodi sectatores. Pro cuius probatione explicatio dicta sufficiat, dum tantum intendimus eius probabilitatem ostendere, ne Senatorum

Obiectio ex legis vrgentia factum san.

conscientias minimè ad restitutionem proclius videamus remediis facilioribus defraudare. Exoptandum equidem asyllum coram supremo Iudice reis probabilis opinio, quando præsertim de molestissimo agitur restitutionis onere, cui passim hominum agmina miseranda succumbunt.

CAPVT II.

De electione Alcaldiorum & qualiter in illa soleant delinquere Senatores, vbi & de iuramenti obligatione.

8 **A**lcaldij apud nostrates dicuntur, qui Romanis Aedilibus videntur respondere, de quibus Tullius lib. 3. de legibus sic ex lege 12. Tabularum suntque Aediles curatores vrbis, annonæ, ludorumque solemnium, & litiq; (idem, quod illis) ad honoris amplioris gradum is primus ascensus est. Illorum vsus in Indiis, sed cum potestate ampliori; sunt enim iudices ordinarij, etiam vbi Regales Audientia sunt, & Togati iudices criminum, ac Prouinciæ: & quandoque etiam vbi & simul Prætores, exiguo profectò fructu; si tamen aliquo, inconuenientibus ex eorum electione, & administratione minimè compensando. Sunt ergo illi ad solatium potiùs ciuitatum, quam ad considerabilem vtilitatem huc vsque conseruati, vt scilicet ciuibus honorifica aliqua officia suppetant, ne gubernatio tota extraneis deferatur: & duo solent annuatim eligi, nec modicis frequenter turbis, nisi vbi Proregis auctoritas iis potest obuiare. Et quod ad electionem attinet, quatenus non sine subornationibus esse solet, iam dictum à nobis, nunc circa alia non nihil oportet adiciamus.

9 Dico primò. Qui factiones nutriunt, vnde oriuntur turbæ, & inimicitia inter ciues; occasione electionum, grauissimè peccant, sicut & supremi Gubernatores, qui hæc scientes non student efficaciter factiones huiusmodi dissoluere, etiam relegatione eorum, qui vix aliter conquiescent. Res est plana, & pro eâ Regiæ extant schedulæ, de quibus Dom. Solorzanus lib. 4. cap. 1. num. 14. & 15. & in Politica lib. 5. cap. 1. pag. 749. in fine. Et inter alias peculiaris extrat, in quâ iubet Phillipus Tertius sacrosanctæ memoriæ Rex, vt officia Decurionum, seu Vrbicorum Senatorum inquietis Decurionibus adimantur, & alia circa electionem per sortes faciendam in vrbem missas, quæ tamen non vbique sunt recepta. Esse autem illam licitam, quando de electione ad officia sæcularia agitur; communis est resolutio, pro quâ Auctores congerit P. Thomas Sancius lib. 2. Decalogi Cap. 38. num. 37. & 38. de quo etiam Diana num. sequenti allegandus, & ratio est quia sortes hoc modo nihil aliud includunt, quam humanum quemdam contractum, quo ex communi consensu habentium ius ad aliquid id inter ipsos sorte diuiditur, vt illius sit, cui fors obtigerit. Videtur autem ratio dicta in casu præfenti cessare; quia sortes non exercentur ex communi sensu, sed ex Regis imperio. Nihilominus potest illa sustineri; quia licet ex imperio Regis id fiat, Respublica tamen ius omne

Alcaldij idem qui Aediles Romanis.

Tullius.

Eorum in Indiis vsus.

Afferio 1. Circa electionem factiones esse labiales.

Sortibus fieri posse.

Vnde illa licita.